



Aud obscuros fuisse Galliae Belgicae populos, quos Atrebatenses vocamus, vel ipse Iulius Caesar testis erit, gens est etenim bellicosa, antiquum etiam nomen suum retinens. Atrebatum metropolis eius Latine sic dicta, etiam Flandriae olim urbs primaria fuit, Gallice Arras dicta, unde & circumiacens ager, totaque provincia, Artois Germanice, quasi Arratois dicas, contracte autem Artois appellatur. hinc recens ista Artesia appellatio orta, qua Latine vulgariter uti solent. Tota provincia, quae sicut olim ita & hodie Comitatus titulo gaudet, longè lateque patet, siquidem à finibus Cameraci, Picardiae, Hannoniae & Flandriae ad Oceanum usque protenditur. Galliae olim regibus paruit: nunc autem, cum inter Carolum V. Imp. & Franciscum eius nominis primum, Galliae regem pacis condiciones, anno millesimo quingentesimo vigesimo nono, acceptae & confirmatae essent, sui iuris sunt. Urbes atque oppida praeterea multa habet, quae sub Catholici Hispaniarum regis imperio sunt. Illud etià in Carionis Chronico reperio: Henricus (inquit) Septimus Rex Anglus urgente Maximiliano Imperatore exercitum in Galliam trajicit, Bononiam frustra oppugnat. facta dein pace, certa pecunia ei numerata, in Angliam redit. postmodum Atrebatenses prodicione capti ab Archiducis militibus, qui Ambianos pariter opprimere conati sunt. Tandem pax, & soror Caroli Archiduci cum Comitatu Atrebatensi datae sunt. anno 1490. Bethunia annonae frumentariae horreum, magnae olim celebritatis Dominatus erat, antequam in Atrebatensium nomen Comitatusque una cum alijs concederet: peculiari nomine Bethuniensis Aduocacia, ipsi quoque principes Aduocati, hoc est, Tutores fiduciarij & patroni Reip. siue dituunculae suae. & veluti clientelae capita, nominabantur. atque adeo castrum, quod mirae antiquitatis & munitissimum opus etiam nunc in urbe visitur, & à regio Gubernatore insidetur, tanquam stabilem sedem retinuisse videntur, ut hac occasione, adfluente nimirum incolarum multitudine, & aedificijs circa adiectis, urbs ipsa (quae anno iam tum millesimo centesimo trigesimo septimo desagrassae tamen proditur) in eam amplitudinem excreuisse merito debeat censeretur. est in hac urbe sodalitas quam Caritatem Eligianam nominant, quae fortasse nihil habet vniuersa Europa nec laudabilius nec Reip. salutaris. Graecè non malè nekrosforia ab exportandis cadaueribus, siue funeribus efferendis nuncupare possis: quod sit ut nemo ibi cuiuscunque sit conditionis, supremo funeris ac sepulchri honore careat. autor seu potius suaser huius instituti fertur fuisse B. Eligius, vetus ille Flandrorum Apostolus, & annis iam ab hinc propè quadringentis vsu & quotidiana periclitatione est comperitum nihil vnquam contagionis ex adfectis corporibus contraxisse eos, qui tam pium Christianae caritatis munus exercent. Hesindeum nobile Gallo obiectum vallum ac propugnaculum, prostrato à Caesareis eiusdem nominis oppido, occasione belli inter potentissimos Europae principes excitatur. dum enim Franciae Rex Franciscus, mortuo Sfortia Insubrum siue Mediolanensium duce, ut statum illum occuparet, Allobroges vicinos & Taurinos armorum strepitu inuaderet, & multa in Italia oppida & caperet & sollicitè muniret, Imp. Carolus post varias expeditiones & grauissima bella contra Gallum gesta, & expugnata Ferrouana, ad Hesindeum castra mouet, quod primo incursum est expugnatum. deleta etiam, & à fundamentis diruta munitissima in eo arce, ad Cancem amnem, amoeniore & aptiore loco nouam, sed cognominem, priore longè firmiorem stationem, ad perpetuam rei memoriam condunt ac instaurant: quare nunc foueis, ea & latitudine & altitudine, muris etiam tam validis Hesindeum cingitur, & propugnaculis sibi mutuo correspondentibus firmatur, quae falcone, pluteos, colubros, fulmen & grandinem plubeam minantes sustineat, ut oppidanis timendum non sit, quod quamdiu commeatus mutuo animorum consensu & concordia conditus ipsis erit, facile in hostium sint potestatem venturi. quam ipsis confidentiam, praeter munitiones arte factas naturalis etiam loci situs fouere potest. Praeter urbes & oppida quae praeterea habet Artesia, ingens etiam est pagorum ac villarum numerus. Coenobijs quoque multis refecta est; inter quas Abbatiae numerantur viginti octo, earumque praecipuae sunt S. Vedasti. S. Bertini, S. Saluatoris, Sanctique Eligij mons. Terra porro ipsa ferax admodum est, imprimis tamen frumenti: ita ut multi arbitrentur inde antiquum illud Gallicum nomen ei inditum esse, ut Atrech vocetur, quod panis terram significat. huic etiam Graecum illud artos arridere videtur, quod panis Latine dicitur. nequaquam igitur ab Arto rege seu duce nomen eam accepisse demonstrari potest. Fluijs etiam quamplurimis irrigatur, quorum tamen praecipui sunt Lyfa, Scarpa, Aa, Cachia atque Authia. alijque plures ac nauigabiles omnes. Syluis non omnino destituitur, praecipue Meridiem & Occidentem versus.



